erga has Musas Nissaeas amorem, quo utroque non aliter ac
aureo cujusdam Solis jubare hodiè fruimur, satis abundè de
praedicare, inque coelum usque laudibus evehere possit: mihi di
cturo interim hanc veniam dabitis, vobis fortè non molestam
nobis gratam et acceptam: ut bonâ vestrâ pace singula-
ria quaedam de Sole praemittere liceat. Non religioso quidem
hic cultu Solem venerabor; mirabor tamen astrum illud
aureum, atque ob oculos ponam Jovis oculum, lucis paren-
tem: quippe quo nihil in hoc spectabili mundo vel ad speciem
pulcrius, vel ad rerum gerendarum commoditatem foecundius,
vel ad incredibilem rerum omnium varietatem in humanos
usus invehendam efficacius. Sol scilicet est; qui vita-
lem vim ac salutarem corporibus atque animantibus communi-
cat. Sol in aethere hoc est, quod in animalibus cor, in
arbore truncus, in homine animus. Sol est, qui vices tem-
porum, annorumque novo semper flore redeuntes, ex usu na-
turae temperat, ejusque partes ita dividit, ut inter se non
secus ac in choro nectantur. Sol est, cujus vis ac po-
testas motus reliquorum siderum constitutâ dimensione mode-
ratur, ipsosque stellarum ignes collustrat. Sol est, cujus in-
fluxus in abditissimos usque recessus terrae se penetrat,
hujusque viscera pervadit, ut gemmas et aurum progeneret.
Sol denique est; qui messes inaurat, arbores foecundat,
prata colorat, vites purpurissat, vireta pingit, horto-
rum areas florum pigmentis illuminat. Quis Solem
igitur jure meritoque suo in Naturae Regno miraculum
miraculorum maximum non salutaret. Mirabilis sanè ejus
est structura: Corporum siquidem mundanorum omnium
est vastissimum, vel millies telluris capacius, à divinâ sa-
pientiâ primum ex liquido ac solido constitutum, suoque